



**Miracula Quæ Ad Invocationem Beatiss. Virginis Mariae,
Apvd Tvngros, Camberones, Et Servios In Hannonia; ac
Dominam Gaudiorum in Picardia vulgò Nostre Dame de
Liesse dictam effulsere**

Caout, Walrand

Coloniae Agrippinae, 1607

Insigni admodum miraculo puer è dæmonis infestatione euadit liber, patre
eius ad Dei matrem pie confugiente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59700)

QUIDAM MANU PARALYTICVS
manum bene sanam recepit ad Beatam
virginem confugiens.

CAPVT LVII.

ANNO 1439. Nicolaus Siluius à sancto
Ioanne faber lignarius manus suæ v-
su, vi morbi, destitutus cum esset, non valens
idcirco de medijs ad vitam necessarijs sibi
prouidere, ad B. Virginem Camberonensem
confugit, quam precibus adeò deuotis est
prosecutus, vt manus illi in pristinum statum
sit restituta.

INSIGNI ADMODVM MIRACULO
puer à demonis infestatione euadit liber,
patre eius ad Dei matrem pie
confugiente.

CAPVT LVIII.

ANNO 1446 Iuxta Hæsiæ huius nostri cō-
uentus Iotricis filius sub mediam no-
ctem inter vndecimam & duodecimam ho-
ram à maligno spiritu percussus & in terram
summo impetu est deiectus, præsentem cum tē-
poris quodam socio suo & vna puella, qui tē-
ipsum minime perceperant. Eo autem mise-
riæ redactus cum esset, ad ædes cuiusdam so-
roris sue totus curuus redijt, ab ea subnixè pe-
tens, vt cum ibidem ea nocte sineret quiescere
& som-

& somnum capere. In hunc ergo finem ipso
grenarium quoddam conscendente, denuò
tâto impetu ab alto deorsum præcipitur, vt
tres dies continuos sine voce, sine sensu quasi
amens hæreret, obuios quosque qui aderant
nunc raptando, nunc pugnis ac verberibus
persequendo, qui, quamuis tres aut quatuor
essent numero, ipsum cohibere non poterant,
donec sancti Ioannis euangelio ad eius caput
piè perlecto paululum conuiescere cœpit.
Pater verò plurimum contristatus est, vbi hūc
ad eò tristem & infelicem filij casum subintel-
lexit, & prima quidem fronte vtile iudicabat
si ad diuinos fauloquos consulendi gratia
mitteretur, postea nihilominus saniori men-
te melius sibi consulens, illis prætermisissis, ad
benedictam Virginem, quæ Camberonæ in
honore est, recurrit, quam deuotissimè ora-
uit vt eum consolari & filio miserè, afflicto
succurrere non dedignaretur. Rebus ita se ha-
bentibus in viam se dedit eum inuisendi gra-
tia: confestimque vt pulsauit fores domus,
dixit filius eius: Pater mi quid petis? Pater hi-
sce auditis totus alacritate plenus & exhilara-
tus quæsiuit ex eo quonam modo, quæue via
à misero suo infortunio euasisset liber: dum,
inquit, nocte proximè transacta pulsabatur
ad obitum quendam pro mortuorum officio
decantando, vox quædam cælitus emissa mi-
hi mandare visa est, vt pro defunctis pias ad
Deum

Deum effunderem preces: quod & mora nulla interposita, præstiti, orationem dominicam recitando. Eadem verò ipsa hora qua pater ad B. Virginem pio eorunde orationem destinavit, filius à miseranda oppressione sua liberum se expertus est, & paulo post eum pater in B. Virginis ædiculam adduxit: ubi multis præsentibus tum religiosis, tum secularibus enarrauit insigne hoc miraculum, quod Virgo benedicta erga filium suum misericorditer erat operata. Postea verò ipse & filius eius solis indulsis, induti in gratiarum actionem processionalem circum fecerunt, plurimis personis pijs comitati tempore quo pluvia copiosa terram contiguam vadique irrigabat: qua non obstantè pluvia, puer instar rosæ rubicundus tam feliciter processionis obsequium adimplevit, ut, quod summe mirum est, percipi non posset, ne quidem unam aquæ guttulam è media æeris regione collatam cum aliquatenus contigisse.

*PERVULVS QVASI EXANIMVS
vitam recipit supra B. virginis altare depositus.*

CAPVT LIX.

ANNO 1451. filius Henrici Fromontij à Bauffia in equorum incidit aquarium, ibidem